



AVSPICE CHRISTO!  
DISQVISITIO THEOLOGICA  
DE  
CONSILIO IRENICO NOVISSIMO  
TVBINGENSI  
circa doctrinam  
DE PERSONA CHRISTI.



*E*x quo doctrinam puriorem de Eucharistia, Numini placuit per D. LUTHERI operam luci pristinae restituere, per Zwinglium, Carolstadium, Oecolampadium, Bucerum & alios, qui ipsis deinceps sunt adstipulati, vulnus iterum gravissimum ei inflatum est. Equidem illud ut sanaretur, & falsum sentientes ad veritatem, quam Ecclesia nostra cum Luthero profitetur, amplectendam perducerentur, opera omnis per scriptiones, colloquutiones atque collationes impensa est, sed spe prorsus frustranea. Ille enim error, in quo istis perseverare visum est, latius paulo serpsit; & tametsi praesentia Corporis Christi realis ex omnipraesentia, Carni Christi communicata, illustrata & ad oculum demonstrata fuerit a nostratibus, alios tamen non minus periculosos peperit, ac sigillatim doctrinam de Christo sinceram non minus turbavit, ea Humanae Naturae Christi, cum omnipraesentia, derogando, quaecumque in unione personali realiter communicata accepit. Quod dogma, etsi perversum, magna tamen animorum contentione, adversus nostros est propugnatum.

Tristis adeo fuit & lamentabilis separatio, praeter schisma in ceremoniis & articulis non-fundamentalibus se exerens, etiam articulos fundamentales afficiens ac ledens; cui si per accessum  
A 2  
since-